



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXVIII. Militem internum præstare externo: nec tamen negligendum
externum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

§. 6. Corrupta Republica omnia pene officia militaria in dedecus & questum abierunt. Itaque virtutis nulla ratio habita, sed pecunie & vitiorum.

Quæ enim fuerit in castris disciplina, quæ ratio delectus demonstrat Tacitus libr. 4. histor. Iussu Virellii, Bataurorum iuuentus ad delectum vocabatur: quem suapte natura grauem, onerabant ministri auaritia ac luxu, senes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus impuberes sed forma conspicui (& est plerisque proceræ pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc inuidia, & compositi seditionis auctores, perpulere ut delectum abuenerent. Ciuium primores gentes, & promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac latitia incaluisse videt, à laude gloriaque gentis orsus, iniurias & raptus, & cetera seruitii mala enumerat. Neque enim societatem ut olim, sed tanquam mancipia haberi. Quando legatum graui quidem comitatu & superbo cum imperio, venire. tradi se prefectis centurionibusque. quos ubi spoliis & sanguine expleuerint, mutari, exquirique novos sinus, & varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut supremum diuidantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam prædam & senes. attollerent tantum oculos, & inania legionum nomina nepauscerent. esse sibi robur perditum equitumque; consanguineos Germanos; Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambigam fortunam Vespasiano imputaturos: victoria rationem non reddi. Magno cum assensu auditus, barbaro ritu, & patriis execrationibus, vniuersos adigit.

CAPVT XXVIII.

*Militem internum præstare externo:
nec tamen negligendum ex-
ternum.*

Hæc bella
fere ex cir-
cumstantiis
pendent.

Vita militis
externi.

§. 1. Difficillima non modo tractatu res, sed etiam ipso usu. Auctores quidem video in diuersum ire; quidam omnino suadent *ut* *ut* peregrinum militem; alij domesticum; Principes nunc hos nunc illos sequuntur.

Contra externum militem hæc fere dicuntur.

Primo. Infidos esse, & maiore ex diuerso mercede ius fasque exuere.

Secundo non parere, non iuberi, non regi, idque propinquo discrimine.

Tertio, sine pudore fugere, non fide, non affectu, in principem, aut patriam teneri, mercenarius enim est.

Quarto. Causam non habere, cur alienæ dominationi sanguinem commodent. Epaminondas suos hortabatur, ut in Lacones ferrentur, aliorum his cassis, nullam fore constantiam.

Quinto. Regionem cui veniunt auxilio externam arbitrari, ideoque cum possunt, eam populari, cui defendendæ conducti sunt.

Sexto. Neque facile vtendum milite externo subsidario, cum enim ab alio stipendia accipiant, non fore fideles illi, pro quo periclitantur, sed à quo aluntur.

Septimo. Qui bella alieno auxilio gerit, est in manu illius à quo adiuuatur. Auxiliares Gothi orientem prædati sunt, occidentem inuasere. Saxones victis Pictis, & Scotis Britannias tenuerunt.

Octauo. Mercenarius miles est inutilis, quia propter exiguum stipendium non exponit vitam. Deinde vel fortis est vel ignauus; si fortis timendus; si ignauus, est proditor. Denique domestico

quod dederis, in regno manet, quod extero, vicinos efficit fortiores.

§. 2. Mihi tamen multa hoc in genere consideranda sunt, & interdum exteri milites domesticis præponendi; neque hic semper quærendum, quid optimum sit absolute, sed quid fieri possit, quidque sit consideratis circumstantiis amplectendum.

§. 3. Itaque optandum quidem est, ut quemadmodum in Republica Romana tempore Romuli, aliorumque Regum omnes ciues milites erant, ita quoque in regnis & urbibus cura belli cum pacis artibus misceatur, ut semper parati sint omnes ciues ad sustinendum, inferendumque bellum; eo finito contenti triumpho ad ciuiles artes reuertantur. Sic Attilius Regulus à Senatu petit, ut sibi prædix curandis domum redire liceret, quod à colonis negligentius habita essent; alique militum Romanorum cupidissime arma deposuerunt.

Verum eam Rempublicam stabilem esse non putato; quia nulla in hunc usque diem talis apparuit; quæ longo tempore perduraret. Nam Roma quoque cum essent multa ciuium millia, pauci tamen qui in bella scriberentur, fuerunt: quid enim binæ, aut quaternæ legiones ad ducenta, aut trecenta ciuium millia?

§. 4. Qui ampla, & diuersarum nationum regna possident, non modo ex subditis militem cogere, verum ex alijs quoque gentibus conducere possunt. Nam quod hodie in plerisque regnis fieri videmus, causa non est, cur reprehendamus, nisi euident ratio aliud persuadeat: nec enim probamus, quod Machiavelus putat, nullum regnum, nullam Rempublicam rei bellicæ habere legitimum ordinem aut periciam. Cum igitur imperatori Romano bellum est in Turcas non modo Pannonico & Germano, sed Italo quoque & Franco milite utitur, id ad victoriam mirifice conducere arbitratus ex quaque gente bellicosos in castris exercere. Quin etiam institutum Romanorum fuit, qui ex omnibus prouincijs delectum agebant, sociorum etiam regum auxilia perpetua habuerunt. Raro autem ab illis tumultum sunt orta initia, sed si quid fuit aduersi à legionarijs incepit.

Auxilia omnino rejicit Machiavelus in principio capit. 12. Quia non sit in illis beneuolentia, magno constant, principem euertunt. Carthaginenses fere ab auxilijs oppressi sunt; post bellum Punicum primum, alios adiungit. Philippus Macedo à Thebanis post Epaminonda mortem creatus imperator, parta ex hostibus victoria eorum libertatem sustulit. Mediolanenses, mortuo Philippo principe decreuerunt stipendium contra Venetos Francisco Sfortia, qui ad Carauagium deuictis hostibus adiunxit se illis, ut Mediolanenses suos dominos opprimeret. Eius pater Sfortia cum Ioan. Neapolitanorum regine stipendia mereret, repente illam inermem deseruit, sic ut ne regnum amitteret, in Aragoniorum regis sinum coacta fuerit sese conicere. Si quis obiciat, Venetorum atque Florentinorum imperiū huius armis retroactis Imperatoribus fuisse propugnatum, nec illud eorum præfecti in suam potestatem redegerint: respondeo Florentinos suam quandam fortunam in ea re fautricem habuisse. Quandoquidem ex eorum ductoribus qui strenui essent, & à quibus sibi metuendum fuisset, nonnulli aduersis praelijs sunt vsi, nonnullis fuit repugnatum, reliquos ambitio alio deuoluerat: qui infeliciter bellum administravit, is fuit Ioan. Acutibus: cuius fides amicta victoria, cognosci non potuit: at nemo non fatebitur si victoriā reportasset, Florentinorum rem suo arbitratu fuisse administraturum. Sfortia perpetuo Brachiani sunt aduersati mutuo sese obseruantes. Franciscum ambitio totum in Galliam Cisalpinam pertraxit: Brachius vero contra sacerdotum Rempublicam Neapolitanorum regnum se conuertit.

Verum ad id accedamus, quod nuper contigit. Imperium

V V 2 belli

Optandum
omnes esse
fortes in
Rep. sed non
sperandum.

Potentes
Monarchæ
varius ex
gentibus
militem
scribunt.

Romanorum
auxilia ra-
to tumultuata.

belli gerendi Florentini detulerunt Paulo Vitellio, viro insigni prudentia, qui ex priuata fortuna conditione, maximum sibi nomen pepererat: si Pisas expugnasset, nemo inficias fuisse iturus, Rempubl. Florentinorum eius imperium fuisse subituram. Nam si in hostium partes stipendia facturus transisset, nullus erat euadendi locus: si vero eum retinuisset, illius iussa capessere cogebantur.

Venerorum si progressus examinentur, facillime quis intelliget, eos tutissime ac felicissime tunc se praestitisse, cum ex Veneta gente collecti eorum exercitus, bella gerebant. Qui mos eis fuit, ansequam ad terrestres expeditiones sua studia conuerterent: quo quidem tempore patritia gentis & vrbana plebis instructi armis, fortissime se gesserunt. At ubi primum terra bellum gerere ceperunt, hanc virtutem neglexerunt, moresque Italicos sunt sequuti: atque in continenti augendi imperii initio, tum quod non ita longe Reipub. fines protulissent: tum etiam quod in magna essent existimatione, non erat quod valde à suis praefectis foret sibi timendum: at propagatis imperii finibus quod Carmignola exercitus imperator factus est, tunc eius erroris specimen ceperunt. Nam cum illum acerrimum ducem cognouissent, postquam eius ductu, Mediolanensium regulum verberassent, illum vero remissiorem in bello gerendo factum cernerent, nullius amplius victoria eo ductore se fore compotes sunt rati. Quare ne quod paruum fuerat totum periret, eum missum facere nec volebant nec poterant. Ut eos itaque ab eo se assererent, eum interfecerunt. Declararunt deinde suarum copiarum imperatorem Bartholomaeum Bergomatem, Robertum Seuerinatem, Comitem item Perilianum, & id generis alios: quibus ducibus metuendum erat, ne detrimentum citius quam emolumentum sua Reipublica importarent. Id quod in eo, quod gestum est ad Valiam bellum accidit: ubi vnico cum hostibus congressu id totum perit, quod CCC. annis tot laboribus fuerat quaesitum. His enim armis lenta dumtaxat, sere ac exigua sunt rerum accessiones: at subita & repentina erumpunt iactura & calamitates.

Vsum omnium cultum pare non est prudentis.

Verum cum videamus nunc vsum esse vbiq; militis mercenarij, non est existimandum in tanta cupiditate vineendi nullam Rempublicam id sequi, quod consultissimum est. Moderate tamen auxilijs exteris vtendum. Veneti ducem mari & suis praeficiunt, ipsi militi mercenario terrestri per suos stipendia soluant, socios & consilia duci adiungunt, ipsi e curia bella dirigunt, maximeque trahere ea cupiunt, vt sumptu fatigent hostem, non facile in praelij discrimen rem conijciant.

Auxilia à suspecto.

Auxilia quae dantur à potentiore, nisi fidus ille sit, perniciofa sunt, vt si Turcam voces auxilio, quod fecere Graeci: at si à fido & cognato, salutaria. Iulianus Secundus Ferdinandum Hispanum, Philippum nunc Ferdinandus aduocat, & contra Venetos vocauit, nec pedem terrae suae per eum amisit. Itaque vbi fides, De i timor, commune commodum, amicitia, affinitas, & cognatio facile in communes vel inimicos, vel suspectos, arma sumunt. Tam enim interest Hispano Bohemiam, quam Italiam defendi.

In seditione exteris vtitur.

§. 5. Primo, In seditione quidem & ciuili bello plerique extero milite vtuntur. Pompeius Africam barbaros adduxit, Caesar Gallos, & Hispanos: Caesares sibi fidissimos sensere exteros. Nunc quoque in Belgio militant exteri, Germani, Galli, Angli, Scoti, Hyberni, Itali, Epirotae. Heluetij quoque praesidio multis exteris conducuntur. Neque eam ob causam tyrannidis accusari principes debent; cum enim domestici factiones alunt, cum in salutem principis violandam conspirant, externo se tueri praesidio merito ac iure possunt. Nec modo id faciunt Reges, sed ipsae Respublicae, quae libertatem ciuium externo praesidio tueri se dicunt. Batani Gallica, & Britannica praesidia suis ciuib; in officio continendis, per oppida nobilia disponunt; nullo id modo facturi, nisi id contra motus internos, externaq; bella con-

sultum arbitarentur. Neque vero magni momenti sunt, quae à Machiauello alijsque adferuntur. Infandum aiunt esse πᾶν τὸ ξενικόν. omne exterum fluxae fidei. Equidem fateor, multa externae perfidiae exempla recenseri, & Romanum Imperium per Gothos, Alanos, aliosque, qui subsidio venerant, euersum: Verum plura sunt domesticae perfidiae exempla. Vnus Sylla plus detrimenti attulit, quam Alarici tota barbaries infusa vrbi. Imo non tam externa auxilia, quam cum illis ducum perfidia.

Externi minor quam ciuium scelera.

Quocirca non ex omni gente auxilia accersenda, sed ex illa, cui iura, & foedera publice, priuatiq; sancta sunt. Itaque nemo Christianorum principum Turcas, Tartaros, Moscouitas in auxilium vocat; & πᾶν τὸ ξενικόν. sunt, & cū perituro fefellerunt, apprimē lati. Constantinus in Graciam 10000. Turcarum vocauit, viatores excedere recularunt, inde causa multarum calamitatum fluxerunt. Hiero Syracusanus cum mercenarios in solelere videret, vt nec retinere, nec dimittere sine periculo posset, vltis stratagemate, omnes occidit. Crudele hoc & durum, sed meruerant.

Externi fortius.

Secundo, Parent fere promptius, pugnant fortius externi, vt qui in solā principis beneuolentiā, & victoria spem salutis habent.

Tertio. Pudor etiam externos à fuga retrahit, qui videri ignaui exteris, suisque, ad quos inglorijs esset redeundum, nolent.

Quarto. Nescio an facilius inuenturus sis, qui externi principis in alios dominationem asserere, quam sui principis in semet potestate dimicare paratus sit. Ita olim factum, exteri Romanam dominationem firmarunt. Romani cum potentia creuere, socios habuerunt, quos simul colligebant, vt ait Polybius. Sub hoc ipsum tempus Consules denunciant magistratibus sociarum in Italia ciuitatum, & quibus auxilia & commilitum habere volunt, significatque iis, & numerum & diem, & locum in quem conuenire debeant quos legent. At vero ciuitates similem facientes iam dicto delectum, itemque iuramentum adigentes, mittunt eos, Praefectum constituentes & Quaforem. Romani sane cum bello grauissimo Hannibalis premerentur, auxilia mercede, hoc est, Volones conduxerunt. Tom. lib. 2. Μελας δὲ τὰς δὲ, inquit, ἀπὸ καρχηδονίων γαλατάς, ὡς ἀλλοὺς τὸν σφῶν συμμαχῶν τινας, ὅτι παλαιὸν ἐπὶ μισθοῖς ἀποστέλλετο, μὴ πῶς ἀεὶ τῶν τεύχεων ἔχοντων. Deficientes à Carthaginiensibus Gallos, & alios quosdam sociorum, Romani stipendio conduxerunt, non ante peregrinum militem soliti alere.

Romani mercenarii vsi.

Quinto. Facilius praedantur exteri, qui minus affectu patriae, & verecundiā mouentur: peritius tamen ciues locorum, rerumque gnari. Contra auxilium militem itaque quae dicuntur, vana sunt: Paruo enim negotio caueri possunt; et si enim ab alio stipendia capiant, cum tamen ea tui causa accipiant, te magni quoque facient; cauendum autem ne auxilia petas ab suspecto, ne victori fenum imponat. Itaque is fidelissimus σπουδαῖος est, cuius interest, te vincere, maximeque potentem esse.

§. 6. Valde cauendum imperatori, ne plus alieni, quam sui roboris in castris habeant. Expertus Scipio in Hispania, qui Celtiberos pecunia conduxit, sed cum eos hostis corrupisset alia pecuniā, oppressus est.

CAPVT XXIX.

Ordinarios milites quosdam alendos esse.

§. 1. Romani initio, licet ordinē classū Seruius instituerit, militē tā ordinariū non habuerūt, sed